

## **Psalmus 137**

- 1 Confitebor tibi Domine in toto corde meo:  
quoniam audisti verba oris mei.
- 2 In conspectu Angelorum psallam tibi:  
adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo.
- 3 Super misericordia tua et veritate tua:  
quoniam magnificasti super omne, nomen sanctum tuum.
- 4 In quacumque die invocavero te, exaudi me:  
multiplicabis in anima mea virtutem.
- 5 Confitebuntur tibi Domine omnes reges terrae:  
quia audierunt omnia verba oris tui.
- 6 Et cantent in viis Domini:  
quoniam magna est gloria Domini.
- 7 Quoniam excelsus Dominus, et humilia respicit:  
et alta a longe cognoscit.
- 8 Si ambulavero in medio tribulationis, vivificabis me: et super iram  
inimicorum meorum extendisti manum tuam,  
et salvum me fecit dextera tua.
- 9 Dominus retribuet pro me: Domine, misericordia tua in saeculum:  
opera manuum tuarum ne despicias.